Sive autem negaretur a, sive affirmaretur b, nichil videbatur consequi necessarium. Quod in ea quoque propositione disiuncta que dicit: aut non est a aut est b, sic quod fuerit a, erit b; si non fuerit b, non erit a. Sive autem non sit a, sive sit b, nulla est sillogismi necessitas, ut in his declaratur exemplo: aut non est homo aut est animal. Si igitur affirmatur atque homo est, erit animal. Si negemus esse animal, non erit homo. Si autem negemus hominem vel animal affirmemus, nichil necessarium cadet. Quocirca ex his que supra dicta sunt declaratur quot disiunctivarum propositionum sillogismi sint, vel quibus ab his que connexe sunt differentiis segregentur. Que enim connexe sunt quandam consequentiam monstrant in eo quod est esse vel non esse; que vero secundum disiunctionem proferuntur, ita sunt ut simul consistere non possint. Invenies vero per connexionem propositiones que intelligi volunt ut a se nequeant separari, ut cum ita proponimus: Si est a, est b. Id nimirum hoc proponitur intelligitur quod si a esse potuit, statim consequitur ut etiam sit b. Nulla vero earum que in disiunctione sunt ita proponuntur ut simul esse videantur. Cum enim dicimus: aut est a aut est b, aut easdem propositiones quibuslibet modis variatas. Id autem coniunctio que disiunctiva proponitur simul esse non posse. Et cum late pateat earum differentia, ideo non pauca subiunximus, quoniam totidem sillogismos fieri dicebamus in his propositionibus que per disiunctionem fierent, quot etiam fuerant in connexis. Et quoniam de omnibus quibusque modis posset fieri ypotheticis sillogismis sufficienter dictum est, hic operis longitudinem TERMINEMUS.

consultissimis reliquere tractatibus, in quibus postquam ad res densa caligantes obscuritate venirent, quadam quasi intelligentie eluctatione perluderent. Hinc per introductionem faciliorque doctrina. Hinc per ea que illi προλεγομενα vocant, nos predicta vel predicenda possumus dicere, ad intelligentiam expeditior promptiorque via munitur. Hac igitur prudentiam non eorum statum ego quoque in res obscurissimas aliquem quidam mihi ponitem ponere mediocriterque delibans, ita ut si quid brevius dictum sit, id nos dilatatione ad intelligentiam porrigamus. Si quid suo more Aristotiles nominum verborumve mutatione turbavit, nos intelligentie servientes ad consuetum vocabulum reducamus. Si quid vero ut ad doctos scribens summa tantum tangens designatione monstravit, nos id introductionis modo aliquanto uberius retractatione disposita requiramus. Sed si quis ad hoc opus legendum accesserit, ab his petitum sit ne in his que numquam audierint statim audeant diiudicare. Neve si quid in puerilibus disciplinis acceperint, id sancitum iudicent quoniam res teneris auribus commodatas.